



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUO IN HONORE** IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS, QUAE
IN ECCLESIA PAROECIALI
VULGO DICTA «OSTROWĄS» OBSERVATUR, «NOMINE ET AUCTORITATE
SUMMI PONTIFICIS» PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quo in honore Beatissima
Virgo Maria sit habita per saeculorum decursum et qua veneratione exulta a populo Polonico, significanter ostendunt
sacrae imagines, sive in templis sive in viis collocatae. Inter quas digna quae peculiari mentione recolatur est quae sub
nomine «Domina Cuiaviensis» observatur in paroeciali Ecclesia loci «Ostrowąs», in dioecesi Vladislaviensi, quaeque
Virgo summe clemens et misericors, praesertim in egenos et pauperes, tenet; eadem autem multa peregrinorum milia
fascinatione quadam et iucunditate allicit attrahitque, praesertim in sollemnitate Nativitatis Beatae Mariae Virginis et per
integralam hebdomadam subsequentem. Qua animarum utilitate permotus certaque spe ductus fore ut multiplicata erga
Virginem Mariam obsequia in fidelium ipsorum bonum cederent, petiit Venerabilis Frater Ioannes Zaręba, Episcopus
Vladislaviensis, votorum cleri populique sui factus interpres, ut imago illa gratiosa pretioso diademate coronaretur. Nos
vero, optantes illius precibus Pastoris obsecundare, hisce Litteris eidem Vladislaviensi Ordinario partes committimus
imagini Matris Dei, quae in paroeciali templo loci v. d. «Ostrowąs» servatur, pretiosam coronam Nostro nomine et
auctoritate imponendi, iuxta probatum ritum liturgicum. Fore quidem confidimus ut illam regionem fideles inhabitantes, ac
dioecesis cuneta Vladislaviensis ad Dei Genetricem colendam magis magisque incitentur. Contrariis quibuslibet non
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Martii, anno MCMLXXXII,*
Pontificatus Nostri quarto. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria
Editrice Vaticana
